

**Dissertatio medica inauguralis de chorea : ... pro gradu doctoris ... / eruditorum examini subjicit Ioannes Thomson.**

**Contributors**

Thomson, John, 1765-1846.  
University of Leeds. Library

**Publication/Creation**

Edinburgh : Abernethy & Walker, 1807.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cnr4zmpf>

**Provider**

Leeds University Archive

**License and attribution**

This material has been provided by The University of Leeds Library. The original may be consulted at The University of Leeds Library, where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
CHOREA ;  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
**D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.**  
*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;  
**PRO GRADU DOCTORIS,**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
**IOANNES THOMSON,**  
*ANGLUS,*  
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD. ET PRÆSES ANN.

*VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.*

---

— ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus.  
C.J.G.

---

EDINBURGI :  
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.  
1807.

Ізборник Струмилівський

Софіївський

80

## СЛОВО

Слово про чесноту

для князя та боярства руского

## СЛОВО КІНІОНІСЬКЕ

для князя та боярства руского

Івана

для князя та боярства руского

для князя та боярства руского

Івана

для князя та боярства руского

для князя та боярства руского

Івана

Івана

для князя та боярства руского

для князя та боярства руского

601772

JACOBO GREGORY, M. D.

*MED. PRACT. IN ACAD. EDIN. PROF.*

ETC.

NECNON,

JACOBO HAMILTON, M. D.

*NOSOC. REG. EDIN. MEDICO SENIORI,*


ETC.

BENEFICIORUM HAUD IMMEMOR,

HANC DISSERTATIONEM,

D. D. D<sub>Q</sub>UE

AUCTOR.



Digitized by the Internet Archive  
in 2015

<https://archive.org/details/b21521682>

IOANNI THOMSON,

ARMIGERO,

PATRI SUO CARO ET AMICO CONJUNCTISSIMO,

HÆC SACRAT

JOANNES THOMSON.

---

— Fateor equidem ea esse rudia, inchoata, et manca :  
cujus rei culpa, ut maximam partem in me recidat, partim  
tamen in ipsius artis conditionis erit rejicienda. Nemo  
naturæ studiosus nescit in quantis tenebris etiam brutæ  
hujus telluris scientia jaceat, et quam parum adhuc profe-  
cerimus in cognitione rerum inanimatarum. At vero in  
corporis humani scientia, et eadem omnia, et multa  
præterea, quæ sunt animantium propria, nos latent. Etenim  
corporis leges sunt multo plures et longe aliæ, quam qui-  
bus res inanimatæ subjiciuntur ; neque harum modus, et  
conditiones, ad actiones vitales explicandas sufficient, aut  
ad animantia recte transferri possunt. Quamobrem usum,  
tardum sane ducem, fere solum huc usque secuta est ars  
medendi \* ; et nulla illustria incrementa ex ratione vel  
cepit, vel captura est, donec humano generi a Deo immor-  
tali tributus fuerit vir, qui quemadmodum NEWTONUS  
inanimata, sic animantia contemplando, principium illud  
vitæ detegat, a quo omnes naturales actiones pendent, et  
gubernantur.

HEBERDEN. *ad Com. finem.*

---

\* Εὐριφῶν ὁ ματρος ερωτηθεῖς τον διδασκαλον, παροῦ ἀπαιδεύθη ;  
παρει τῷ Χρονῷ, εΦη.

## TRACTATUS

DE

## C H O R E A.

**H**ÆC habeo quæ de Choréâ dicam. Non aliquid novum vel perutile inveniendi, sed pauca de morbo haud curâ indigno breviter edendi, spe perductus sum. Atque, ni fallor, omnia quæ de hâc re nota, et etiam multa quæ minimè satis nota sunt, inter fines hisce dissertationibus more impositos, comprimi possint.

Choream omnibus ævis extitisse medicisque haud ignotam esse verisimile est. Causa mor-

A

bi, quæcunque sit, non è quodam tempore noto, vel è quâdam viri specie, originem duxit; quas ob res in omnibus ævis et regionibus impuberes aggressam esse, deducere liceat. In operibus scriptorum antiquorum hunc morbum benè tractatum, sine dubio frustrà querimus. Et etiam his diebus postremis, quot variabilia et incerta de nomine, ratione, et curatione morborum generis nervosi ferè omnium, valent! Præterea, chorea, quia præcipuè morbus impuberum est, quia sanatio quandò accidisset ferè suaptè accidit, quia motus perridiculos, è motibus fanaticorum minimè semper distinctos, subit, vel ob aliquam aliam causam, attentionem medicorum quam benè meruit, et quam hodie asseruit, nequaquam vindicavit. Sed in antiquis pauca de hoc morbo locum obtinuerunt\*. “ Scelotyrbe, quasi “ cruris turba et perturbatio, species est resolu-“ tionis quâ erectus ambulare homo non potest, “ et latus quandòque rectum in sinistrum, quan-“ dòque sinistrum in dextrum, vel vicissim cir-“ cumfert. Interdum quoque pedem non attol-

---

supradictum se habeo sive audiuimus nescio;

\* Vide GALEN. Isagog. lib. versus finem.

“ lit, sed attrahit, velut ii qui magnos clivos  
 “ ascendunt \*.” Hæc Galenus. An verba PARACELSI sequentia ad hunc morbum spectent?  
 “ Vitista à S. VITO nomen traxit, qui plagæ et  
 “ pœnæ loco hunc hominibus morbum immit-  
 “ tat; aut quod vice ipse DEUS, propter homi-  
 “ num peccata, malum hoc infligat †.”

Sed, sine dubio, SYDENHAM ‡ primùm morbi historiam protulit; historiam tam veram, ut fidem omnium vindicasset, et pauca si ulla nova, ad nostra usque tempora, huic historiæ addita fuerunt. Sed SYDENHAM (si mihi ita dicere fas sit) in nomine huic morbo imponendo, errâsse videtur. Morbus quem ille *Choream S. Viti*, minimè idem est quem SENNERTUS || *Choream S.*

\* “ Quâ expressione idem expressisse mihi videtur quod neoterici Choram Viti nominant.” SAUVAGES, Tom. i. 591. Amstelodami, 1768.

† PARACELSI Opera, folio, pag. 578.

‡ SYDENHAM. Sched. Monitor. de Novæ Febris ingressu, pag. 527. Lugduni, 1726.

|| Practicæ, lib. i. p. ii. cap. xvii. pag. 118. vol. ii. fol. Lugduni, 1656. “ Malo huic (Tarantis) cognatum est aliud, quod Chorea et Saltus Viti appellatur. Hoc enim

*Viti*, et PLATERUS *Saltus* \* *Viti* nominaverunt.  
 De nomine hæc citare satis erit †. “ In circulo  
 “ Sueviæ juxta Ulmam, est templum Sancto  
 “ VITO dicatum ; eò multæ concurrunt mu-  
 “ lieres circa festum hujus sancti quolibet anno  
 “ mense Maio, ibique saltu cum perturbatione  
 “ mentis nocte dieque se exercent, donec ecsta-  
 “ ticorum instar corruant, quâ ratione sibi res-  
 “ titutæ sanitati videntur, et nihil per annum  
 “ sentiunt ; secus membrorum inquietudine ten-  
 “ sivis artuum doloribus, unâ cum lassitudine  
 “ spontaneâ, et capitis gravitate torquentur, do-  
 “ nec anno sequenti organum musicum quod in  
 “ eorum gratiam hoc festo pulsatur, audiant.

“ delirii et insaniae genere qui laborant dies noctesque sal-  
 “ tare gestiunt. Nonnulli equidem Choremam S. Viti εγ-  
 “ θυτικούς veterum referendum censem,” &c.

\* “ In quo (Viti Saltu) furore quodam insano saliendi  
 “ perciti choreas ducere continuo appetunt ; quem proin  
 “ affectum *Viti Saltum*, à Sancto, cuius invocatione se ab  
 “ eo liberari credunt, vocant. —— Arabes aliqui Sal-  
 “ tuosam membrorum dispositionem vocarunt, et *convulsio-*  
 “ *nis* speciem esse voluerunt : tamen, hic *nulla membrorum*  
 “ *fiat convulsio*, sed *mens alienata* in hanc insaniam et per-  
 “ versum appetitum feratur et impellatur,” &c.

† Apud SAUVAGES, ut antea.

“ Hæc testis refert **GEORGIUS HORSTIUS**, *Ob-*  
“ *serv. lib. 2. &c.*”

*Chorea S. Viti*, quam **SENNERTUS**, et *Saltus Viti*, quem **F. PLATERUS**, descripserunt, morbus idem esse videtur ac *Enthusiasmus GALENI*, fortasse *Vitista PARACELSI*, *Tarantismus enteanismus SAUVAGESII*, non verò *Chorea S. VITI SYDENHAMI*; nam hæc ab illis tam distat, quām motus hujusce morbi à motibus et saltibus quos in omnibus ævis fanatici, quos Quakers olim, et Saltatores \* hodie in Cambriâ subierunt. Sed de nomine, et historiâ morbi antiquâ disputandi, tempus et voluntas æquè desunt.

---

### QUÆDAM DE DEFINITIONE.

**CULLEN** celeberrimus, morbi historiam quam **SYDENHAM** tradidit, et verba etiam hujus auc-

---

\* Anglicè, Jumpers.

toris in definitionis formam redegit ; sed, pace tanti viri, adhuc plus historiæ quàm definitionis habere videtur. Definitionibus, quas scriptores nosologici ediderunt, quam Cl. SAUVAGES in medium \* protulit, longe antepono ; attamen, ni magnopere fallor, quæ loco in definitione digna sunt, et quæ satis probata sunt, omnino præteriit. Quamobrem, his definitionibus pluribusque de hâc re omissis, quod sequitur subjicere liceatne ?

Motus involuntarius plerumque unius lateris, aliquandò totius corporis, cum alvo haud naturali, gesticulatione, claudicatione ; articulatione et deglutitione impeditis ; febriculâ, macie, fuitate.

Hæc verborum forma, multa non in aliorum definitionibus inventa complectitur. Horum rationem in morbi historiâ sequente satis inesse spero ; sed hîc pauca de questione quam in morbi historiâ, omnino præterii, breviter disserere

\* 136. Spec. hæc VOGEL laconicè Spec. 193.  
“Convulsio saltatoria aut procursiva.”

volo : An motus in choreâ *involuntarii* sint ? DARVINUS \* choream non convulsionis speciem esse dicit, quia ægellus, lecto impositus, qui-escit. Hoc minimè constat ; nam corpus ægelli, quamvis cubile premat, plerumque dum vigi-lat, et aliquandò etiam cùm dormit, variis modis et variis jactationibus torquetur. Motus *semi-voluntarios* SAUVAGES †, et *ex parte voluntarios* esse CULLEN †, docuerunt. Sed non ita se res habere videntur. Motus in choreâ, cùm ægellus, oculos et animum adstantium in se intendi percipiat, violentiores esse, et etiam in exemplis nonnullis tunc temporis solummodò sævire, concessum est ; sed in omni convulsio-nis specie, et in omni nervosi generis morbo, hoc symptomata auget. Atque hominum quos in sermone vulgari *nervosos* appellamus, mens oculorum vel animorum adstantium conscientia, agitationem et tremores auget, vel omnino inducit. Denique, quicquid voluntas contra nitatur, imò etiam quo plus voluntas contra nitatur, eo plus membra jactantur. Ita, sine voluntate, vel

---

\* Zoonomia, iv. 2. 3. 4.

† Vide Definitiones in Nosolog.

etiam contra voluntatem, motus perstant ; et hæc eos involuntarios esse demonstrare mihi sufficiunt. Hæc si ita sint consuetudo confirmabit ; nam etiam actiones voluntariæ sæpissimè repetitæ, ferè involuntariæ fiunt ; et vi solâ consuetudinis perficiuntur ; quanto magis itaque motus semper involuntarii ?

---

### DE MORBI HISTORIA.

CHOREA impuberes utriûsque sexûs aggreditur. Puellas huic morbo pueris procliviores, nonnulli \* putaverunt. “ Ex ægris quos vidi “ (ait HEBERDEN †), tantummodò quarta pars “ fuere mares.” Ætas maximè opportuna, à teneris annis ad pubertatem, perstat. Limites hujus ætatis variî, ab auctoribus variis impositi fuerunt. SYDENHAM et CULLEN ætatem ab anno decimo ad decimum quartum, HAMILTON

---

\* BISSET. Medical Essays, pag. 165. Newcastle, 1766.

† Comment. cap. xx. pag. 92. London, 1802.

ab octavo ad decimum quartum, BISSET à sexto ad duodecimum durare, putaverunt. Ultra pubertatem rarissimè primùm accidit. Sed HAMILTON duas puellas xvi—xviii natas, choreâ laborantes, se vidisse testatur \*. GREGORY † eximius, puellæ annos septemdecem natæ mentionem fecit. P. HOME secundus duarum puerilarum, quarum una annum decimum quintum, et altera decimum sextum attigit, exempla in lucem edidit ‡; et HEBERDEN || morbum in anno vigesimo vidit. Tempus primi adventū tempore dentitionis *secundæ*, in multis exemplis convenit. Convulsiones in primâ dentitione, et choream in secundâ, sæpè accidere notum est. Hujus causa omnino latet. Sed aliquando paulò post annum quintum accidit. Nuper in Nosocomio Edinensi Regio, pueram annos novem natam, choreâ affectam vidimus. Morbus in hoc exemplo annos quatuor, cum quibusdam in-

---

\* Observations on the Utility of Purgative Medicines, pag. 69. 2d edit. Edinburgh, 1806.

† Audi Prælect. Systemat. in loc. Chorea.

‡ HAMILTON's Observ. Appendix, pag. 277—8.

|| Comment. Cap. xx. 92.

tervallis, perstiterat, et puellulam invasit anno quinto vix peracto, *primā* dentitione, dum molaris erumpabant. Hujus ægellæ historiam morbi indagare et scribere mei muneris fuit; et P. Clinicus **GREGORY**, in prælectione suâ de hoc exemplo, se nunquam prius choream in ætate tam tenerâ quam anno quinto vidisse dixit. Exemplum unum \* et alterum † ætatis ejusdem inveni; in his exemplis autem de dentium statu nil dictum est.

Impuberis choreæ maximè obnoxii sunt, quorum valetudo naturâ instabilis, vel incuriâ, padiotrophiâ infelici, victu pravo, aëre impuro, aliisve infaustis, debilis facta est. Symptomata quæ ingressum choreæ prænuntiant, eadem sunt quæ alios infantum morbos præeunt, et adeo communia sunt, ut vix notatu digna habeantur. Ludi et joci amor, et animi vivacitas decrescunt; cibi appetentia prava fit, vel præter modum ali-

---

\* Case by Dr WILLAN, Lond. Med. Journal, anno 1786, vol. vii. p. 187.

† STOLL. Ratio Medendi, vol. iii. p. 403.

quandò aucta \* ; somnus turbatus est ; alvus irregularis, plerumque astricta. In exemplis fortasse omnibus intestinorum tubus multò, sed in quibusdam ferè incredibiliter torpet †. In infantibus, duæ saltèm dejectiones indiès, et stercora mollia accidunt. Sed in choreâ alvus per aliquot dies astricta est, donec stercorum moles et acrimonia diarrhœam fœtidam inducant. Ita vicissim se alvus habet. Porro autem tubi vires intestinorum succumbunt, et gradu vix percipiendo morbus gravis et informis, infelicem aggreditur. Præterea, hic alvi status inconstans errorem producit. Si ab amicis iisque qui circum ægrum ministrant, status alvi queratur, (præeunte, diarrhœæ causâ, obstipatione prætermissâ), alvum naturalem vel etiam solutam esse incautè respondere solent. Fæcum natura, color, et conformatio, omnino neglecta fuerunt. Has ob res, medici est questiones multas et repetitas sedulò inire, et fæces dejectas indies inspicere.

---

\* HAMILTON. WHYTT's Works, 4to, p. 573. note.

† Vide exempla quæ HAMILTON edidit, et præcipue exempla ANNÆ ROSS et ELIZABETHÆ WEBSTER, pag. 242. & 258. Appendix.

Spiritus malè olet, et si nunc medicus abdo-  
men premat, sæpè præter naturam tumidum  
et tensum inveniet. Morbo progresso abdo-  
men laxatum et quasi tabefactum videtur, et  
macies fit similis illi quæ in tæbe mesentericâ  
accidit. Jam motus abnormes, sed leves, et  
parùm observati, primùm apparent. Faciei  
musculi primos motus subeunt \*. Hi cuidam  
brevis irritationis causæ referuntur, sed motus  
violentiores et ferè universos præeunt, qui mox  
animum parentum totum occupant.

Motus tam abnormes describere difficillimum  
est. In morbo ipso plurimùm variant, quam-  
obrem in morbi historiâ ordo minimè lucidus  
esse potest.

Plerumque chorea alterum latus solùm, vel  
maximè aggreditur. “ Tamen in eodem ægro  
“ morbus modò hoc modò illud latus infestat†.”  
Quinetiam, quod mirabile est, si manus vel cru-  
ra lateris affecti vi retinentur, interdum artus

---

\* HAMILTON, pag. 70.

† HEBERDEN, xx. 92.

lateris alterius prius immoti, statim moveri incipiunt \*. Lateris affecti membra munere, naturâ et consuetudine imposito, minimè funguntur. Æger pedem attrahit potius quâm attollit, et pes ipse motum quandam semicircularem, et quasi spasio coactus, in gressu facit. Crus etenim paralysi affectum esse videtur, sed brachium violenter huc et illuc movetur. “ In manu ejusdem lateris (morbus) cernitur †, “ quam hoc morbo adfectus vel pectori vel alii “ alicui parti adplicitam, nullo pacto potest con- “ tinere in eodem situ, vel horæ momento, sed “ in aliud situm, aliudque locum convulsione “ quâdam distorquetur quicquid æger contrâ ni- “ tatur. Si vas aliquod potu repletum in manus “ porrigatur antequam illud ad os possit addu- “ cere, mille gesticulationes circulatorum instar “ exhibebit. Cùm enim poculum rectâ lineâ ori “ admovere nequeat, deducta à spasio manu “ huc illuc aliquandiu versat, donec tandem forte “ fortuna illud labris propriùs apponens, liquo-

---

\* Prælect. System. Prof. GREGORY, in loc. Chorea.

† SYDENHAM, ut supra, pag. 527. atque iterum Pro-  
cess. Integ. in morbis ferè omnibus, pag. 595.

“ rem derepentè haurit.” Ægellus quidem, poculo ad os appropinquante, os ad poculum potius quam poculum ad os citò admovet. SYDENHAM addidit, “ Atque avidè haurit tanquam misellus id tantum ageret, ut deditâ operâ spectantibus risum moveret.” Sine dubio res ita se habent, sed cupiditatem quandam risum promovendi, vel “ histrionum gesticulationes referendi \*,” ægelli animum ducere, et morbi symptoma haberí, (ut SYDENHAM, CULLEN et alii putant), minimè mihi satis demonstratum est. Miselli motus adeò sunt ridiculi, ut risum etiam invitum spectantium inducant. Hoc ipse videt, et solâ imitatione vel gaudii consensu communi perductus, (ut mihi videatur), ipse ridet. Ita vicissim ridiculè movet, spectantes rident, ægellus ipse ridet ; donec hoc modo fortasse motus et risus adeò et quasi quodam *associationis* vinculo conjunguntur ut se mutuò, inscio etiam misello, producant.

Faciei musculi variè distorquentur ; aliquando risus SARDONICUS exhibetur. Oculus, lin-

---

\* Vide Defin. Chorea in CULLEN. Syn. Nosolog.

gua, caput circumferuntur ferè constanter; vel caput unum alterumque latus vicissim petit, sed non in toto circumfertur. Motus varios brachia subeunt: nunc solummodò tremunt, vel leniter subsiliunt, et nullo pacto in eodem situ teneri possint. Nunc velociter in cœlum, in terram, prorsùm, retrorsùm, dextrorsùm, sinistrorsùm porriguntur; rariùs sed nonnunquam brachium conum describit, cuius apex humeri articulus est, et cuius basin manus velociter tractat.

Trunci etiam musculi, quamvis rariùs, convelluntur, et corpus huc et illuc trahunt. Aliquando abdominis musculi tam strictè viscera comprimunt, ut tensionis sensus percipiatur; aliquando contrà præter naturam laxantur, et flaccescunt. Morbo ingravescente \*, vel ad existum lethalem vergente †, sphincteres ipsi ean-

---

\* Vide exemplum ELIZÆ WEBSTER, (apud HAMILTON, pag. 258.), et morbi statum Aprilis die 30<sup>mo</sup>, Maii die 1<sup>mo</sup>, 2<sup>do</sup>, 4<sup>to</sup>, 5<sup>to</sup>, anno 1805.

† Vide exemplum CATHARINÆ M'LEISH, et morbi statum Maii die xv<sup>mo</sup>, 1806.

dem actionem instabilem, et tandem paralysin, subeunt.

Membra corporis superiora, violentius quam inferiora, jactantur. Hæc enim attrahuntur potius quam attolluntur, cuicunque propè sit occurront; debilitantur et marcescunt (ut in rachitide) vel etiam paraplegiæ specie \*. Tam varii, sed tam similes, hi motus sunt, ut error in diagnosi nullus esse possit.

Aliquando, sed rarissime, dum gradi volunt currere ægelli coguntur. Exemplum ab HEBERDEN citabo †. “ Puer cuidam, cum crura vehementer agitabantur, motus involuntarii superabant omnes movendi conatus leniores, membris autem fortius impulsis morbus superabatur; ergo currere potuit qui non potuit ambulare; quod etiam inebriis fieri consuevit.” Membra fortius impulsa morbum superare, symptoma mirum et insolitum habeatur ‡.

---

\* Vide exempl. SINCLAIR, apud HAMILTON, p. 223.

† Comment. Cap. xx. p. 93.

‡ Hoc cl. SAUVAGES vocatur “ Scelotyrbe festinans,” vol. i. p. 591.

Plerumque motus somno cedunt; sed in quibusdam exemplis per somnum, tametsi leviores, perstant \*. At quamvis motus muscularum abnormes absint, dentes frendere, lacrymare, ridere, exilire, loqui, somniare, nares scalpere, inscius videtur. Hæc plūs minūsve valent, et raro vel nunquam somnum levem, longum, et jucundum permittunt.

Gradatim loquela et literarum quarundam prolatione impediuntur. Loquendi conatus linguam ad dentes premunt, adeò ut lingua major quam quod os benè contineat, videatur. Ægel-lus, etiam, ob facultatem rectè loquendi amissam, pudore ductus, vel ob linguam titubantem, vel ob modum ridiculum verba proferendi, vel ob sermonis prolationem, rariùs loqui conatur: hoc modo loquendi facultas ferè deficit.

Progresso morbo deglutitio, præsertim viçtûs solidi, impeditur. Plerumque in œsophagi angustiâ spasmadicâ, (ut in hysteriâ et in tetano),

---

\* Med. Comment. decad. ii. vol. ii.

victum solidum, sed non liquidum, vel utrumque in magnâ faciliùs quâm in parvâ quantitate, æger devorat. Pari ratione levior faucium titillatio, veluti per plumam, vomitum excitat, quod gravior ipsarum irritatio non facit cum liquida per siphunculum infusa fuerint, vel instrumentum (*probang* Angl.) introductum. In choreâ autem victum solidum glutire difficiùs est.

Quum huc usquè morbus increverit, vultus languet, oculi hebescunt, et omnes sensus faticunt. Musculi tabescunt, corporis et mentis vires succumbunt, et febriculæ vestigia mors ipsa premit.

Pulsus per morbi cursum, ut in impuberum febriculis, multùm et subitò variat, tam vi quâm violentiâ, nec rarò abnormis fit et intercitus; sæpissimè languet \*.

Interdum autem cùm nec natura suâ sponte, nec mutationes quæ in corpore fiunt sub puber-

---

\* WILLAN. Diseases of London, p. 246.

tatem, nec ars medica, morbum sustulerint, claudicatio et fatuitas per vitam miseram perstant. Hujusmodi exempla non valde rara sunt. Misserum, annorum propè triginta, agricolæ filium nuper apud Hawick, in provinciâ Roxburgh, vidi, hoc modo plexum. Quasi equitabat, sed pars sellæ posterior formam semicircularis, ad lumbos attigit. Pedes ad stapites, genua ad sellæ cingulas et partes pendulas, frænum ad manum unam et flagellum ad alteram, alligata fuerunt. Caput, oculi, facies, os, lingua, brachia, crura, et corpus totum, perpetuò movebantur. Corporis summa macies; fatuitas in vultu depicta; vox debilis continuo ferè prolata, cum loquendi conatibus, quos tamen intelligere non potui. Vota et mentis pathemata, si aliquid mentis perstitit, signis non verbis enuntiavit. Hoc modo vectus, equum per foram impulsit; morbi causa, historia et progressus mihi ignota sunt.

Nonnunquam etiam motus sed leves per totam vitam manent, vel post intervalla incerta accidunt; maximè ab animi affectibus, mentis autem viribus non labefactis. Atque interdum

quædam gressûs instabilitas, tremor manuum vel membrorum fugax, muscularum faciei motus leviores, sermo paulo titubans vel productus, observantur. Ita, de S. JOHNSON, LL.D. doctrinâ, et variis animi viribus et dotibus prædicto, scriptum est : “ His head, and sometimes also “ his whole body, shook with a kind of motion “ like the effect of a palsy. He appeared to be “ frequently disturbed by cramps, or convulsive “ contractions, of the nature of that distemper “ called St VITUS’s Dance \*.”

Choream aliquandò, quasi epidemicam, grassetam esse, nonnulli putaverunt. “ There have been instances of this disease, consisting of such convulsive motions, appearing as an epidemic in a certain corner of the country †.” De hâc re paucissima inveni. Hæc LIEUTAUD : “ Huc (ad Catalepsiam) etiam spectat Chorea “ S. VITI, la Danse de St. Guy ; quâ correpti

\* BOSWELL’s Journal, p. 8. Vide etiam Epistolas ALEX. POPE poetæ, de JOHNSON ; et seq. BOSWELL’s Life of JOHNSON, vol. i. p. 118.

† CULLEN. First Lines, § 1353.

“ stultè saltant, inconditisque motibus detor-  
 “ quentur : hæc haud multis abhinc annis qua-  
 “ si grassabatur, et in propatulo erat Parisiis ;  
 “ nec fortè desiisset, ni Rex Christianismus  
 “ lymphatæ ægrotantium menti severâ lege con-  
 “ suluisset \*.” De hâc re, cuius LIEUTAUD  
 mentionem fecit, alia ex aliis fontibus frustra  
 quæsivi. Hæc LIEUTAUD addit : “ Haud ab-  
 “ simili morbo teneri pseudo-dæmoniacos te-  
 “ neri, &c. credere par est.” Si morbus, qui,  
 secundum hunc auctorem, in propatulo erat  
 Parisiis, Chorea S. VITI fuisset ; mendicos hunc  
 morbum, eleemosynæ gratiâ, simulâsse; vel auc-  
 torem, ad choreas, saltus, motusque fanaticorum  
 spectâsse, mihi videtur : morbum, “ quem aliqui  
 “ ut eleemosynam majorem extorqueant, vel ideò  
 “ subornati, ut vulgi falsam opinionem homi-  
 “ num mentibus magis imprimant, simulant †.”

In orphanotrophio autem apud Milan, chorea  
tam sæpè accidit, ut epidemica habita fuisset.

\* LIEUTAUD. Synop. Un. Prax. Med. 4to, pag. 153.  
Amstel. 1765.

† PLATERUS, ut antea, pag. 88.

set \*. In his pueris medendo tonicis utebantur medici, sed parùm profuerunt. Hujus rei, si vera sit, rationem reddere haud difficillimum. Omnes ægri iisdem studiis et iisdem laboribus incubuerunt, omnesque iisdem morbi causis remotis fuerunt expositi. Si, igitur, vel unum exemplum choreæ accidisset, alii pueri, similiter ad morbum proclives, in choream inciderint, et in illos imitatio sola morbum inducere satis esset. Aëri et victui pravo igitur, exercitationi neglectæ, et partim quoque imitationi, tribuendum est. Hoc epilepticis in orphanotrophio apud Haërem, testante KAUW BOERHAVE, accidit †.

## DE DIAGNOSI.

CHOREA à morbis aliis facilè dignoscitur. Quamvis omnes morbi spasmodici et convulsivi

---

\* Ed. Med. and Surg. Journal, NO. 1. p. 31.

† “ Impetum faciens.” § 408.

indicia haud dissimilia, et frequentè eadem præbeant, et signa signis miro modo conjungantur, motus choreæ proprii, cruris claudicatio, deglutitio et articulatio impeditæ, motus brachii, circulatorum instar, ægelli ætas tenera, et alia supra in morbi historiâ recensita, errorem judicandi difficilem reddunt.

In raphaniâ articulorum et membrorum spasmus tonicus est, et dolores violentissimi, quamvis periodicè solùm hi adsint, et ægrum è somno, cùm choreæ symptomata plerumque cessant, sæpiissimè excitant.

Hic fortasse pauca de diagnosi inter choream et apoplexiā hydrocephalicā indicare non alienum erit. Hydrocephali gradus ultima quædam signa choreæ haud dissimilia præbent ; nempè varios et abnormes crurum, et præsertim brachiorum motus. Tales mihi videntur motus in exemplo CATH. M'LEISH, nuper in Nosocomio Edinensi Regio (choreâ ut nonnullis videbatur) mortuæ ; eademque priùs in exemplo pueri, vidi : Hic certè, et illa (ut mihi videtur) hydrocephalo interno, mortuus est. Ad hanc

sententiam minùs ineptam reddendam, quod sequitur citare liceat : “ In one case, (Hydroceph. Intern. Acut.), there was paralysis of the right side ; in two others, the irregular motions of the limbs termed St VITUS’s Dance took place, at the second alteration of the pulse, and continued till within a day or two of the patient’s death \*.” A WRIGHT, medico Bristoliensi, enarratur exemplum cuiusdam, qui haud multò post choream, ut visum est, zinco fugatam, hydrocephalo mortuus est. His subjungam pauca, sed omnia, quæ de sectione cadaverum inveni. “ In two cases (of chorea) examined after death, from two to four ounces of clear lymph were found in the ventricles of the brain, and about the same quantity within the pericardium †.” Hos duos morbos cibi appetentia imminuta vel prava, languor, debilitas, vultus demissus, muscularum

---

\* WILLAN. Diseases of London, p. 269. 12mo.

† Ibid. p. 245.

In uno exemplo D. CLINE, chirurgus Londini eximius, quasdam ossis particulas in cerebri piâ matre formatas, invenit.—CLINE’s Lect. on Surgery, MS.

quædam macies, alvus plerumque astricta, et intestina torpida comitantur. In hydrocephali studio ultimo spasmi clonici vel convulsiones, tremores, unius lateris paralysis, et alterius forsè convulsio, et nonnunquam epilepsiæ paroxysmi, occurrunt. Sed choreæ cursus latus, hydrocephali velox; hunc mors sæpissimè, illam rarissimè sequitur. Tres etiam pulsùs gradus, vomitio, strabismus, pupilla dilata, dolor et gravitatis sensus in capite, cæcitas, et alia signa, hydrocephalum denotant. Præterea pyrexia à morbi initio hydrocephalum comitatur, sed febricula solummodò in choreâ longâ et provectione accidit.

---

---

---

DE CAUSIS.

VARIA sunt ex quibus chorea oriri dicitur. Horum multa mira et creditu minimè digna sunt; si vera saltèm rarissima sunt. Talia mihi

D

videntur, papulæ repulsæ \*, mensium reten-  
tio †, ars musica ‡, psoræ curatio prematura ||,  
testes in scrotum nondum delapsi §, et alia.

Duæ præcipuæ irritationes, tanquam morbi  
causæ, medicorum attentionem nuper sibi vindicârunt.

I. Dentitio.—Hanc choreæ causam ingenium  
et acumen etiam SYDENHAM eximii, non de-  
texerunt. Hoc primùm à cl. MONRO secundo  
observatum fuit ¶. Puellam ix annos natam  
chorea laborantem vidit, gingivas unius lateris  
tumidas et rubras, et tres dentes molares diffi-  
cillimè erumpentes, cernebat. Scalpello gingi-  
væ incisæ fuerunt, chorea fugit, dentes erupe-

\* BISSET, p. 168.

† CARTHEUSEN. Fund. Pathol. tom. i. cap. xiv.

‡ Lond. Med. Journal xi. P. ii. N0. 2.

|| DARWIN. Zoonomia, ii. 1. 5. 6. et iv. 2. 3. 2.

§ Vide Dissert. Inaug. auctoribus SALMON et LOCK-  
YER.

¶ Audi Prælect. System. GREGORII, in loc. Choreæ,  
Vide etiam Dissert. Inaug. de Chorœâ, auctore D. SALT,  
pag. 17. an. 1793.

runt. Brevi tempore elapso, morbus rediit ; alterius lateris è gingivis tres molares erumpebant. Iterum scalpello chorea cessit, et nunquam rediit. Experientia P. GREGORY hoc comprobavit \*. P. RUTHERFORD exemplum ægelli, annos octo vel novem nati, vidit, cuius causam morbi, incisores in partem oris interiorem irrumptentes, præbuerunt. In exemplo MARGARITÆ DUFF, (suprà, ad nonæ finem paginæ), chorea puellulam, è gingivis molaribus erumpentibus, primùm aggressa est, et per annos quatuor, paucis intervallis interpositis, perstitit.

II. Tubi intestinorum statum hoc morbo stricte connexum esse nunc satis compertum est. Hoc JACOBO HAMILTON, M. D. Nosocomii Ed. Reg. medico debemus. Ad hanc sententiam formandam perductus fuit, putando, “ The debility and spasmodic motions, hitherto so much considered, might not be the leading symptoms of the disease, but might depend upon previous and increasing derangement of

---

\* Prælect. Syst. de Chorœâ. Vide etiam BLAKE on the Teeth, Dublin, 8vo, pag. 173.

" health, as indicated by irregular appetite and  
" constipation of the bowels \*." Hanc senten-  
tiam veram esse, experientia docuit. Alvus  
plerumque astricta est ; dejectiones irregulares,  
fæces duræ, nigræ et parcæ sunt. Vel si alvus  
priùs astricta subindè laxata sit, fæces quantita-  
tem, colorem, odorem, et formam naturalem,  
minimè præbent. Quantitas autem fæcum in  
intestinis coacervata, non ad abdominis tensio-  
nem et tumorem quæ cernere solemus ; sed ad  
morbi durationem, et ad vires ægelli imminutos,  
respondit. In exemplo ANDERSON †, fæces per  
dies decem ejectæ, quantum corpus ipse pende-  
bant. Huic causæ, me judice, omnia quæ tu-  
bum intestinalis et ventriculum perturbant, et  
quæ in auctorum libris extant, referenda sunt ;  
e. g. ebriositas ‡, vermes ||, tubi intestinalis pi-  
tuita §, ejusdem suburra ¶, &c.

\* HAMILTON's Observations, p. 97.

† HAMILTON. Appendix.

‡ DUNCAN's Med. Cases, p. 266.

|| STOLL. Ratio Medendi, tom. iii. p. 416.

BISSET. Med. Ess. p. 168, &c.

§ STOLL. 417. tom. iii.

¶ D. RUAMP's Journal de Medicine, an. 1758.

Præter hæc duo, quæcunque irritabilitatem et mobilitatem præter naturam et debilitatem inducunt, causæ prædisponentes habeantur, viz. victus pravus, aër impurus, labor nimius, præsertim in domu, in orphanotrophiis, vel in officiis, nimia detentio, &c. Ad hunc corporis statum conferunt mentis pathemata quæ animum demittunt, e. g. timor \*. Hæc enim animi pathemata, sicùt in aliis nervosi generis morbis, motus abnormes excitant, vel saltèm augent.

---

## DE PROGNOSI.

PROGNOSIS plerumquè fausta est; præsertim si morbus haud gravis sit, nec diù perstiterit. Rarò post pubertatem perstat, et rariùs tunc temporis primùm oritur. Atque ratio medendi quam MONRO et HAMILTON in lucem protulerunt, morbi sanationem tantùm non certam præbet,

---

\* STOLL. tom. iii. 403. HOME'S Clin. Exp. p. 189,  
Exper. 31.

Sed contrà, exempla non desunt, quamvis rara, in quibus claudicatio, motus irregulares, fatuitas, paralysis et epilepsia choream insecura sunt, vel denique in mortem desiit. Prætereà, si morbus post pubertatem perstiterit, vel tunc primùm acciderit, quamvis non lethalis fuerit, spes sanitatis integræ in corpore et in mente minima est. Etiàm si aliquid veri sententiæ de hydrocephalo et choreâ, supradictæ insit, quandocunque hujus motus (ut in exemplis à WILLAN tractatis\*) illum comitentur, prognosis infelix est.

---

### QUÆDAM DE METHODO MEDENDI,

QUUM dentitio difficilis choreæ causa sit, gingivæ incidendæ sunt, arte chirurgicâ ; quo facto morbus ferè solvitur. Quum ex alvi statu orta sit, catharticis solis fidendum est. Modus medendi quem HAMILTON † feliciter secu-

---

\* Dis. of London, p. 269.

† Vide Observ. de Chorœâ, et exempla in Appendice.

tus est, hoc satis comprobavit. Ex exemplis quæ HAMILTON enarravit, constat,

1. Alvum plerumquè adstrictam, nunquam naturalem esse ;
2. Dejectiones plerumquè exiguae, nigras fœtidas esse ;
3. Dejectiones redditas naturales, morbum decessisse ;
4. Vires corporis et mentis, catharticis datis non succubuisse, sed rediisse ;
5. Statum morbi, à tubi intestinalis statu, pendere.

Quum morbus infelicem primò aggressus fuerit, lenioribus catharticis, quæ laxantia dici solent, alvum quotidie solvere satis erit. Sed morbo progresso et fæcibus accumulatis, purgantibus fortibus opus est. Nunc intestina torrent, et medicamenta, vel fortiora, vel majoribus et repetitis dosibus, dare oportet. Hoc modo, morbo fortitèr occurrentum est, et donec fæces magis magisque naturales fiant, donec alvus regularis sit, et morbus gradatim decesserit, purgantia repetenda sunt, eorumque usus diù

continuendus. Sanitatis reducis signa non ambigua sunt : Alvus naturalis facta, cibi appetitus bonus, mens, oculi, vultus hilares, imperium in musculos voluntarii motūs receptus, vires redeuntes. Quoniam verò morbus sæpè recidivus observatus est, ad alvi statum diù respiciendum.

Varia purgantia satis convenient. Bolus ex P. Convolv. Jalapæ et Submur. Hydrarg. Compositus ; Pilulæ Aloeticæ, et aliæ pilulæ laxantes ; Infusum Tamarindi Indici ē sennâ, sales medii minùs ingratæ ; sed cæteris submuriæ hydrargyri ob parvum molem, et nullum saporem, ob pondus et ob vires, præstat : pro variis purgantium formulis liber Doctoris HAMILTON consulendus. A tempore quo hic medendi modus in lucem prolatus fuit, in duobus exemplis, quorum ultimum fuit MARGARITÆ DUFF, à GREGORIO nostro eximio purgantia faustè data fuerunt. P. HOME quoquè duo exempla eodem modo et pari successu tractata edidit.

HAMILTON ipse putavit medendi rationem quam SYDENHAM felicitè secutus est pro-

fuisse maximè, validâ quâ usus est alvi purgatione. SYDENHAM sanguinem ad uncias septem mitti imprimis jussit. Die proximo *Infusum Sennæ et Rhæi* et vesperi haustulum paragoricum dedit. *Alternis diebus ad tertiam vicem cathartica*, et haustuli iisdem noctibus repetita fuerunt. Postea iterùm sanguis tèr quatèrve missus, et *alvus subducta quotiès vices ferre posse videatur*. Et, ait SYDENHAM, “ eo tamèn “ temporis spatio inter alternas evacuationes “ observato, ut nihil indè periculi ægro immi-“ neat.” Diebus à purgatione vacuis corroborantia dedit. Ex his remediis sola corroborantia à medicis recentioribus data sunt. Hæc pauca sunt; opium, camphora, æther sulphuricus, valeriana, cinchona, belladonna, zincum, ferrum, ammoniaretum cupri, balneum frigidum et vis electrica. Ex tenerâ ætate, ex habitu corporis debili, ex sectione cadaverum suprà citatâ, ex sero in cerebri ventriculos et in pericardium infuso, missionem sanguinis profuisse haud verisimile est.

Vix igitur dubitandum est quin cathartica multùm profuerint, vel in iis ægris quos SYDEN-

HAM curavit; sed multò clariùs constat de eorum bonis effectibus in aliis et recentioribus morbi exemplis. HAMILTON\* à DE HAEN† exemplum choreæ citavit. “ Bimestri spatio ad-“ hibitâ vi electricâ pustulæ copiosæ, eaque tur-“ piter onustosæ brachium et crus cingunt; in-“ terpolatis purgantibus perfecta salus rediit.” In dissertationibus medicis auctore BISSET, quinque exempla inveni, unum nempè pueri, et quatuor puellarum, quibus omnibus medicamenta *anthelmentica*, (pro horum formulis, vide BISSET's Medical Constitutions, p. 329—341.), et postea *electuarium laxans*, felicissimo cum effec-  
tu data fuerunt ‡. Puellarum una teretes duas magnas post anthelmentica per alvum dejicit, et inde convaluit. Puer teretes duodecim emisit, chorea perstitit, sed medicamentis supradictis semèl iterùmque datis, vere proximâ decessit, nunquàm redditura. Ex his quinque, duobus solummodo unà cum fæcibus vermes dejecti fue-

\* Observations, p. 105.

† Vol. i. cap. 8. Ratio Medendi.

‡ BISSET's Medical Essays, p. 165. & 169.

runt, sed in aliis tribus eadem medicamenta,  
eodem modo data non minùs profuerunt.

E ratione medendi auctore MAX. STOLL  
(tom. iii. p. 414.) de exemplo juvenis annos  
sedecem nati, quæ curationi ope catharticorum  
favent, pauca excerpto. Post morbi historiam,  
et medicamenta quædam enumerata, hæc se-  
quuntur : “ A gummi ferulaceis pejùs habuit,  
“ à camphorâ pessimè. Continuum oris glu-  
“ ten et dentium sordes accusavit ; ab *eccoproti-*  
“ *cis salinis* emendabatur, denuò non curaba-  
“ tur. Ab extracto belladonnæ vertigo, cepha-  
“ lalgia, delirium furor est ortus, ut eo sepo-  
“ sito *purgare* denuo ventrem placuerit, *rheo*  
“ *et salibus mediis*, cum multo oxymelle squilli-  
“ tico propinatis. Indè lumbricum dejecit  
“ (plures jam olìm repetitèm secessisse aiebat)  
“ et pituitam ; *alvo mediocriter sed quotidie*  
“ *fluente*, oris gluten artus atque omnia sic e-  
“ mendata sunt, ut sub mensis ejusdem finem  
“ ad suos sanus redivit.” Et infrà (ad pagi-  
nam 416.) vide hæc : “ Chorem Sancti VITI  
“ ab amarescente primarum viarum pituitâ no-  
“ tam *solventibus eccoproticis, rheo, arcano dupli-*

“ *cato*, et oxymelle squillitico, sanavi in aliâ pu-  
“ ellâ quam diuturnus ante eum morbum rheu-  
“ matismus afflixit, neglectus atque in Chore-  
“ am S. VITI suâpte fatiscens. Nocuère stimu-  
“ lantia, extractum quoquè belladonnæ, flores  
“ zinci, flamma electrica in eâ specie quam  
“ tubi intestinalis pituita et vermes produxe-  
“ runt.”

Apud SAUVAGES (tom. i. p. 591.) hoc ex-  
emplum inveniendum est. “ Monspelii puer,  
“ duodecim annos natus, vino, caffé et liquori-  
“ bus spirituosis assuetus, arthritide rheumatis-  
“ mali recens sanatus, incidit sensim in instabi-  
“ litatem totius corporis, ità ut per duos men-  
“ ses inscius et invitus brachium, pedem, ca-  
“ put, vel aliam partem, continuò extrà som-  
“ num motitaret tanquam nugans ; unius ta-  
“ mèn lateris motitatio non fuit major quam  
“ alterius, dein mens et loquela debilitaban-  
“ tur ; dolor pedem aggressus est sed levis ;  
“ sanabatur hic puer phlebotomiâ, et deìn *repe-*  
“ *titis catharticis.*”

Puellam, annos quatuordecim natam, et

Choreâ affectam, morbilli subitò aggressi sunt\*; his autem aliquot dies finitis chorea rediit, et per dies quatuordecim, parvâ intermissione, perstitit, quicquid multa medicamenta contrâ nitabantur. Dein autem, *diarrhœâ spontaneâ, multum saburræ quasi mucosæ emittente,* penitus sanata fuit. Forsitan hoc modo explicari debent sanationes plurimæ choreæ, cùm causa morbi in tubo intestinali sedem haberit, vel dentibus per se è gingivis erumpentibus, cùm dentes causam præbuerint. Saltèm praxis quâ MONRO et HAMILTON usi fuerunt, hæc verisimilia reddit.

Quodcunque in victu, potu, vitâ genere, et in aliis quibuslibet, ventriculum et alvum gravet, sedulò evitandum est.

Quum purgantia diù data fuerint, et vis vitæ deficere inceperit, vinum, cinchona, et alia roborantia, fortassè proderunt. Hæc autèm in purgantium loco minimè sufficienda sunt, sed cum iis conjungenda, vel vicissim danda. Ho-

---

\* WHYTT's Works, 4to, p. 573. Note.

rum usum rarissimè morbus, sed aliquandò timor vel ægri, vel amicorum, et medici ipsius prudentia postulent. Ferrum, quà tonicum, dari potest; sed quia fæces nigras facit, et ità an naturales sint judicare difficillimùm, loco hujus aliis roborantibus uti decet. Alvi enim status summi momenti est, et ancillis matribusque minimè fidere, sed medicum ipsum omne quod ex alvo ejiciatur quotidiè inspicere, oportet.

Remedii et medicamentis supradictis frigidarium subjungi potest. Hoc quidem HAMILTON et BISSET non suadent, sed alii \* haud parvi nominis laudant. In statu morbi maximè debili, qui nonnunquam medicis occurrit, forsitan aqua frigida, reactione ut dicitur deficiente, haud proderit; sed cùm ægellus robur gradatim recipere videtur, et cum his modis refectus sit, frigidario cum fructu utatur. Hæc HEBERDEN:  
“ Cùm æger morbo se colligere cœperit, tunc  
“ in frigidam descendere juvabit, quòd etiàm  
“ morbo nondùm inclinato utilitè tentatum

---

\* HEBERDEN, WHYTT, GREGORY, in loc.

“ novi.” Per totum morbum, et per totam sanationem, diæta mitis, simplex et nutriens, exercitatio modica, aër purus, maximè prosunt.

Si his chorea non cedat, vel cum rheumatismo, (ut nonnulli putant), vel cum paralysi conjugatur, vis galvanica, vel electrica \*, tentari meretur.

An purgantia cum chorea post pubertatem perstiterit †, vel tunc primùm acciderit, spem salutemve pollicentur? Dies doceat: nam hactenùs, quantum mihi novisse contigit, experientia deest. Sed de tali exemplo à chirurgo Edensi tractato, quædam à chirurgo ipso accepta, nuperrimè mihi cl. HAMILTON lubentè tradidit. A. B. mulier innupta, annos circiter triginta et sex nata, corporis habitum debilis, alvo astrictæ et capitis dolori gravi assueta, quatuor abhinc annis post nimiam ambulationem, maximam debilitatem et per totum corpus dolo-

---

\* Vide DE HAEN. Rat. Medendi, cap. v. de Machinâ Electricâ.

† De his vide quædam ad pag. 18, 19, et 20. supra.

res conquesta est. His, post dies quadraginta, chorea successit. A chirurgo consilium petivit, qui medicamenta tonica dedit ; e. g. cinchonæ et ferri varia præparata. Epispastica capiti dolenti aliquid levaminis præbuerunt. Laxantibus quoquè alvus soluta fuit. Balneum calidum non profuit. Vermibus in tubo intestinorum, quasì choreæ causâ, suspectis, vermifuga, et præsertim calomelas, data sunt. Calomelas purgando, (ut chirurgo visum est), salutem redendi spem præbuit. Sed hoc medicamentum intermissum fuit. Mense Junii, anno 1805, purgantia rursùs, et tunc secundum methodum Doctoris HAMILTON, data fuerunt, et morbum penitus sustulerunt. Evacuationes fuerunt fœtidæ et subnigræ. Posteà autem, purgantibus intermissis, chorea rediit. Iterùm purgantia morbum fugaverunt, et per menses jàm octo, ope et usu purgantium freta, optimè valuit. Hæc chirurgus \*. De choreâ in ætate tam maturà, et tunc *primùm* accidente, nihil antequàm inveni.

---

\* Dabat, Edinæ, die 10<sup>mo</sup> mensis Januarii 1807.

Choreæ, quùm post pubertatem perstet, nullis aliis remediis (quantùm scio) felicitèr occur-  
rendum est. Cathartica itaquè tentare medici  
esse videtur; sed quùm consuetudo, ægri ætas,  
morbi diuturnitas et alia choream confirmave-  
rint, sanatio tarda vel nulla expectanda est.  
Forsitàn, quoquè, in his exemplis, vis electrica  
et balneum frigidum haud sine commodo expe-  
rienda.

Hæc habui de choreâ quæ dicerem: *cætera  
desunt.*

FINIS.

Qui d'entre nous n'a pas été bénit par le Seigneur  
n'a pas été baptisé dans l'Eglise (c'est à dire) n'a pas été  
baptisé dans l'Eglise catholique romaine. C'est pourquoi  
je vous prie, chers amis, de faire attention à ce que  
vous faites, pour que les personnes qui sont dans la  
communauté catholique romaine ne soient pas éloignées de  
l'Eglise catholique romaine. Il est très important que  
nous soyons tous ensemble dans l'Eglise catholique romaine.  
Il est très important que nous soyons tous ensemble dans l'Eglise catholique romaine.